

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Ephron.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

12 DIALOG. SACRORUM.

landus? *A.* b) DEVS providebit ipse sibi agnum in sacrificium, fili: interea pergamus. Ecce venimus in locum, quem DEVS dicebat mihi. Construamus hic aram. Recte est: disponamus lignum. Nunc, mi fili, oportet ut te colligeam mactemque, quando ita visum D^EO optimo maximo, cuius voluntati resistere nefas est. *I.* Mi pater! si ita certum est D^EO, fiat. Nam didici ei, tibique parere in rebus omnibus. *A.* Pater omnipotens, cuius est imperare, obsequor tuis jussis: tibique macto hanc hostiam hoc cultro, mea ipsius dextra. *A.* Abrahame! Abrahame! *A.* Quis me vocat? *G.* Cave, ne afferas manum puero: Cave, ne l^adas. Jam enim mihi satis perspecta est tua religio & pietas, qui propter me e) non pepercis filio, eique unico. *A.* Hein! quid hoc rei est: Sed video-ne arietem in dumo hærentem cornibus? Salva res est, vivet Isaacus, hæc mactabitur gratiæ D^EO victima.

SENTENTIA.

Nihil tam difficile aut durum est, quin id possit, qui credit. Deus suorum pietatem remuneratur.

EPHRON. Genes. 23.

ARGVMENTVM.

Abrahamus mercatur ab Hettæis fundum ad sepulturam Saræ uxoris suæ.

Abra-

b) Pii hominis est veritatem interdum celare, sed circa mendacium.

c) Deo voluntas pro facto est.



Abrahamus, Hettæi, Ephron.

Ego sum peregrinus & advena inter vos, Hettæi: Quare tribuite mihi possessionem sepulturæ inter vestras, ubi sepeliam Sarah conjugem meam, quæ mortua est, ut scitis. **H.** Attende nos Domine. **a)** Tu es quidam Princeps divinus inter nos: tuum est, eligere nostris sepulchretis, ubi inhumes tuum mortuum. Nemo nostrum prohibebit te suo sepulchro, quo minus sepelias in eo. **A.** Ago vobis gratias pro vestra tanta humanitate ac liberalitate. Sed si vobis cordi est, ut sepeliam meum defunctum, & auferam e conspectu meo, concedite mihi præterea, ut agatis pro me cum Ephrone filio Sigoris, ut attribuat mihi cavernam duplicem, quam habet in extremo sui agri, & attribuat justo argento, in vestra præsentia, in usum sepulchri. **E.** Ausculta mihi potius, Domine! **b)** Ego tibi dono & agrum & cavernam agri, & quidem in præsentia meorum popularium. Sepeli tuum mortuum. **A.** Imo tu potius ausculta mihi. **c)** Ego solvam tibi pecuniam pro agro, eam tu accipe a me. **E.** Domine attende. Hic fundus, de quo agitur inter nos, est quadringentis siccis argenti: si vis sepeliri tanti. **A.** Accipio tanti. Et jam appendam tibi præsentem pecuniam. Vos Hettæi estote testes, ut Ephron addicat mihi in possessionem quadringentis hic siccis argenti, agrum suum dupli caverna, qui ager est e regione Mambræ, id est, Hebronis una cum ipsa caver-

na,

a) Virtus etiam inter peregrinos pollet.

b) Magna est interdum etiam in barbaris humanitas.

c) Non semper accipiendum est, quicquid donatur.



14 DIALOG. SACRORVM

na, & omnibus arboribus, quæ sunt undique in toto spatio ejus. *E.* Addico. *H.* Testes erimus.

SENTENTIA.

Justitia commendat hominem apud eos, qui non sunt omnino perditi.

REBECCA. Gen. 24.

ARGVMENTVM.

Dispensator Abrahami dicit Rebeccam, filiam Labanis Mesopotamii, in matrimonium Isaaco herili filio.

*Dispensator Abrahami, Rebecca,
Laban, Bathuel.*

Heus! heus puella, da mihi bibere paulum aquæ ex tua urna. *R.* Imo vero perlibet, vir optime! Hem! bibe, ^{a)} quin etiam adaquabo tuos camelos, quantum sat erit. *D.* At ego te pro isto beneficio, dono hac inaure, atque his duabus armillis. Sed age fac sciam, cuius sis filia: & an sit in ædibus tui patris locus, ubi possimus pernoctare. *R.* Evidem sum filia Bathuelis, quam Melca peperit ex Nachore. Straminis autem & pabuli apud nos affatim est, nec non locus ad pernoctandum. Sed ego curro in oppidum, ut nunciem hæc omnia domi ita, ut habent. *D.* ^{b)} Ago tibi gratias, Jova, quod non destituisti tua bonitate & fide Abrahamum herum meum

^{a)} Humani homines ultro plus etiam beneficiorum conferunt, quam orantur.

^{b)} Pii, Dei erga se beneficia agnoscunt atque praedicant.

